

Et addit, quod nec ista septem peccata sunt primæ radices peccatorum, sed amor sui inordinatus, nec sunt principalia peccata, sed ista, odium Dei (si ponatur) desperatio, infidelitas, quæ opponuntur primis habitibus bonis Theologicis, imò ista septem sunt radices valde communes, & magis occasiones peccatorum, quàm causæ peccandi.

d. *Ad argumenta principalia.* Ad primum, Respondet Doctor, concedendo quod tale peccatum est præsumptio, & hoc modo ponitur superbia, sed non fuit illa prima species superbiæ, secundum quod accipitur propriè superbia, ut supra expositum est, quæ scilicet est appetitus excellentiæ.

Quomodo intelligatur auctoritas Joannis.

e. *Ad secundum.* Dat duas responsiones. Prima, quod auctoritas Joannis intelligitur de hominibus existentibus in hoc mundo. Secundò, quod si illud peccatum concupiscendi in secundo gradu deberet reduci ad aliquod istorum, magis deberet reduci ad concupiscentiam oculorum; sicut in nobis ad concupiscentiam oculorum spectant immoderati appetitus alicuius visibilis pulchri, ita & in eis ad concupiscentiam oculorum debet spectare immoderatus appetitus delectabilis, & sic peccatum mali Angeli, quod fuit respectu velle concupiscentiæ magis debet reduci ad concupiscentiam oculorum, & illud non fuit simpliciter primum peccatum.

Ad tertium. patet responsio.

Ad quartum respondet negando antecedens, quia fuerunt multa peccata, ut supra patuit, & art. 3. ubi sic dicit, quod in secunda mora in qua fuerunt diffformes in via, fuerunt multa in qua quia mali peccaverunt multis speciebus peccati, scilicet superbia, odio, & invidia, & isti alii sic patet antecedens esse falsum, & cum ille. Ex per hoc, quod primum peccatum fuit intermedium. Dicit Doctor quod si ponit uisus, quando peccavit secundo peccato, invenisset venturum, tamen ex quo in illo peccato devenit ad terminum, omnia peccata eius facta sunt intermedia.

Oppositum. Hic probat quatuor rationibus, quod peccatum eorum non fuit superbia, quod tamen debet intelligi, ut exposui in corpore quæst. quod si quis veller sustinere, quod fuerit superbia eo modo, quo expositum est, poterit respondere ad ista argumenta, quæ probant non fuisse superbiæ. Primum argumentum stat in hoc: Superbia non est maximum peccatum, sed peccatum mali Angeli fuit maximum, sed Maior patet, quia oppositum non est maximum bonum, quod est humilitas.

Respondet Doctor, negando minorem, quia primum peccatum eorum non fuit maximum, &c. Reliqua patent.



DISTINCTIO

IOANNIS DVNS SCOTI, DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

QVÆSTIONES

IN LIB. II. SENTENTIARVM,

Nunc denuò recognita, Annotationibus marginalibus, Doctorumque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornata, & Scholijs per textum insertis illustrata.

Cum Commentariis R.^{mi} P. F. FRANCISCI LYCHETI Brixienfis, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ olim Ministri Generalis,

Et Supplemento R. P. F. IOANNIS PONCII Hiberni, eiusdem Ordinis, in Collegio Romano Hibernorum Theologiæ primarij Professoris.

TOMI SEXTI PARS SECVNDA.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.